



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Contra hostes visibiles paucorum contra multos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS IX. VICTORIA.

§. I.

Contra hostes visibiles paucorum contra multos.

Abraham cum trecentis servis suis quatuor Reges debellavit. Gen. 14. 15.

Exercitus Madian erat ut minimum centum triginta quinque millium; è quibus cæsa sunt centum viginti millia: reliqua quindecim millia fugientia persecutus Gedeon cæcidit trans Jordanem: Judic. 8. 10.

Et cades magna nimis. 1. Reg. 14. 20. Josephus l. 6. c. 7. ait cæsa sexaginta millia Philistinorum. Solus David, *quasi tenerrimus ligni vermiculus, octingentos interfecit impetu uno.* 2. Reg. 23. 8. Solus interfecit Goliath.

Josaphat, cum Moabitas, Ammonitas, Idumæos, contra se irruentes nimium timeret; solâ se contra illos oratione, & jejuniò, armavit: & quos tandem milites in prælium adduxit, diligenter monuit, non ut pugnant; sed canerent, pulsarent citharas 2. Paral. 20. 3. 21. Et vix cantare cœperant, cum hostes in mutua vulnera corruentes, omnes ad unum periëre; nè unò quidem tantæ cladis superstitè nuntiorum. Mendoza in 1. Reg. 14. Annot. 18. Sect. 1.

Judas Machabæus, 1. Machab. 4. 6. cum ab innumeris hostibus armatis cingeretur; ipse apparuit in campo cum tribus millibus virorum tantum; qui tegumenta, & gladios, non habebat: & tamen inermes armatos contriverunt. Idem ibidem.

§. II.

Varia de victoria contra hostes visibiles.

Equos eorum subnervabis, & currus igne combures. Jos. 11. 6. Monetur Princeps, nè, cum fruatur victoriâ, suis impofterum fidat opibus. Orig. hom. 15. in Jos. ut ultra non in equis, nec in armis, sed in nomine Dei nostri, invocemus. Quid prodest eques, si non adest Deus? *sallax equus ad salutem.* Pf. 32. 17. Quid virtus facit, cum Deus manum retrahit? *non salvatur rex per multam virtutem.* v. 16. Velloso in Judith 1. Paran. 11.

Habitavit David in arce, & vocavit eam civitatem David. 2. Reg. 5. 9. Nota: Hebronem eò elogiò ornata non esse, licèt ibi septenniò regnavit. v. 5. Nec Jerosolyma dicta Regis civitas est: suam tamen arcem, & urbem, Sionem vocavit; quam armis cœperat, Jebusæo excussò. Ad laudem victoriæ magnificæ, ait Abulensis q. 10. ad 2. Reg. 5. Velloso in Judith 7. Paran. 7.

Quotiescumq; autem penituerunt. Judith 5. 19. Si hostes cupis vincere, Dei metu exercitum ducito. Isid. Pelus. l. 1. ep. 294.

In finem pro his, qui immutabuntur. Pf. 59. De victoria duplici carmen est. Cum succendit Mesopotamiam Syria; ubi David ferò, & flammâ, Syriam terit, & Idumæam premit. Sed inscriptio metum prius sonat; cum fortuna rotam videat. Aptâ epigraphæ pro Duce victorioso: quâ David gloriosus victor, & monetur, & monet: fortunam belli prosperam facillè avolare: Regem modò victorem gaudere; modò victum dolere. Idem in Judith 1. Paran. 8.

Alphonfus rex Aragonia, filio suo, dum in Florentinos moveret, hoc documentum dedit. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industriâ, paratur; sed Dei Optimi Maximi benignitate, & arbitriò, Panormitanus l. 3. de reb. Alphonfi c. 51.

Theodosiò imperium suscipiente, bellum grave in Occidente motum est. Percussus, non pecuniam, non milites, cogit; non fœdera querit; sed Dei opem. Cognitò, virum quendam in Egypto anachoretam, nomine Senaphium, sanctissimè vivere, miracula patrare; confessum Theophilum Alexandrinum Episcopum cum literis ad illum expedit; ut quamprimum Constantinopolim se conferat. Diu restitit vir sanctus: tandem cucullâ, & baculo, in cœlum sublatis; Domine Deus, inquit, huic, obsecro, cucullæ, & baculo, vim tantam imperti, quantam mihi, si adessem, tribueres. Tum quæ manibus tenebat, antistiti tradens: hæc, inquit, defer Imperatori; ut cucullam imponat capiti, baculum manu ferat, primam ipse aciem in hostem Dux educat. Fecit, quod suavis, Theodosius; hostis mox in fugam conversus, cæsus, victus, sine suorum sanguine.

Tempore Urbani II. ad ann. D. 1098. Christiani in bello sacro à Papa indicò, pro recuperatione Jerosolymæ: cum essent Antiochiæ in summa desperatione; eò quòd propè adesset infinitus exercitus Turcarum; & ipsi pauci essent, ac diurnâ fame propè enecti: ita ut etiam viri fortissimi baculis innixi incederent; neque equos haberent, nisi paucissimos: quin & copiarum Dux Godefridus Bulonius equò commodatò uteretur; & multi principes in asinis equitare cogentur. Tandem Deus revelavit, ubi esset Lancea, quâ Christi latus perforatum est in Cruce: eaque prælata in bello victoriam dedit; ita ut occiderint centum millia Turcarum. Itâ Paulus Æmilius l. 4. histor. Francorum.

Ossa Comitissæ Castellæ fortissimi Ferdinandi Gonzali, strepitu, & concussionè suâ, significavit